



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De Baptismo Et Confirmatione - Dvobus Libris Explicata

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XVII. Per Baptismum non fieri irrita omnia vota.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53934)




sum expressit Apostolus clariùs, Coloss. 3. vbi iubet seruis, vt dominis suis seruiant tanquam Christo, ita vt in homine, cui seruiant, non tam hominem considerent, quàm Christum, ob cuius amorem libenter subiiciuntur homini.

Ad alia loca respondimus in vltimo capite libri de Sacramentis in genere.

## CAPVT XVII.

### *Per Baptismum non fieri irrita omnia vota.*

 **V**ART A propositio: *Per Baptismum non sunt irrita omnia vota.* Hæc habetur can. 9. Concilij Tridentini, estque contra Lutherum in lib. de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo, & in libro de votis monasticis, necnon Calvinum in Antidoto, & Kemnitium in Examine huius can. 8. qui docent, per Baptismum liberari hominem ab omnibus votis, non solum quæ antea, sed etiam quæ postea fecerit, excepto illo vno, quod fit in Baptismo, cum promittimus nos Dei legem seruaturus.

Fundamenta ipsorum sunt. **P**RIM O, quia Deus in Testamento veteri disposuit de votis, quomodo fierent, & quando, & de quibus rebus. At in testamento nouo Christus, & Apostoli nihil præscripserunt, nisi vnicam promissionem, quæ fit in Baptismo, Matthæi vlt. **S**E C V N D O, quia vel vouere volumus res à Deo præceptas, aut non præceptas. Si præceptas, frustra id facimus, cum in Baptismo vouerimus omnia præcepta. Si non præceptas, iam pugnamus cum Baptismo, qui nos liberauit ab omnibus humanis inuentionibus. **T**E R T I O, in Baptismo plus vouemus, quàm implere possumus; ergo stultus est, qui aliquid aliud vouet, & iniuriam facit Baptismo, quasi votum in eo factum non sit sufficiens.

Sed hæc fundamenta debilia sunt. Nam vt ad **P**R I M V M respondeamus, etiam si Christus, & Apostoli nihil de votis præscripsissent, mirum non esset, cum vota sint de iure naturæ, vt patet ex voto Patriarchæ Iacob, Genes. 28. tamen falsum est Apostolos nihil de votis tradidisse, cum 1. Timoth. 5. B. Paulus omnium interpretum consensu de voto continentia loquatur, vbi dicit, viduas quasdam, si nubant damnationem habere, quia primam fidem irritam fecerunt.



Ad SECUNDUM respondeo, voueri posse, tum res præceptas à Deo, tum etiam res non præceptas, modo sint res bonæ. Neque frustra vouentur res præceptæ, tum quia per votum homo magis ligatur, & certior redditur implendi, tum etiam quia quod fit ex præcepto, & ex voto, est actus duarum virtutum, & proinde excellētius, quàm id, quod fit ex solo præcepto. Vouere autem rem non præceptam, non est contra prohibitionem Baptismi, quia vt supra diximus, Baptismus liberat à peccato, non ab iis rebus quæ iuuant ad vitanda peccata, & quæ magis Deo subiiciunt, & cum Deo ligant, vt sunt vota. Neque dici possunt vota, humana inuenta, cum habeant in Scripturis commendationem, Psal. 73. *Vouete, & reddite.* Et Ecclesi. *Si quid vovisti Deo, non moreris reddere.* Neque potest responderi vota esse Testamenti veteris: nam liber Psalmorum & Ecclesiastes, in oralia documenta tradunt, quæ omnino conveniunt. Denique violatio votorum pugnat potius cum Baptismo. Nam profiteremur in Baptismo, nos servaturos omnia Dei mandata; vnum autem est ex mandatis Dei, vt vota solvantur, vt patet ex locis citatis.

Ad TERTIUM respondeo, falsum, & blasphemum esse, quod aduersarij assumunt, nos in Baptismo plus promittere, quàm implere possimus; id enim, & pugnat cum verbis Christi, qui Matth. ii. vocat legem suam iugum suauē, & onus leuē: & cum verbis Pauli, qui dicit Rom. 8. Christum mortuum esse, vt iustificatio legis impleretur in nobis: & cum Concilio Arausicano II. can. 23. vbi definitur posse hominem baptizatum seruare omnia Dei mandata; & cum Basilio oratione in illud: *Attende tibi,* & cum aliis Patribus, qui dicunt, blasphemum esse asserere Dei mandata esse impossibilia. Neque putamus promissionem in Baptismo factam esse insufficientem. Est enim sufficiens ad suum finem, id est, ad saluandum hominem, licet addi aliquid possit, vt vel facilius, vel excellentius aliquis saluetur; quomodo non idem Baptismus est insufficientis, licet melius sit, baptizari & Eucharistiam sumere, etiam testimonio aduersariorum, quàm solum baptizari: neque verbum Dei est insufficientis, licet melius sit, verbum Dei audire & Sacramenta suscipere, quàm solum Dei verbum audire. Denique si Iudæi in Circumcisione pollicebantur se Dei legem seruaturus, & tamen præter ea vouere poterant multa alia, vt

Kemni.



Kemnitius fatetur, neque dici poterat Circumcisionis promissio insufficientis, cur non poterunt Christiani vouere aliquid, etiamsi in Baptismo promiserint, se vniuersam Dei legem seruaturos? aut cur dicitur Baptismi promissio insufficientis? Atque hæc hoc loco sufficiant: nam devotis accuratè differuimus in disputatione de Monachis.

CAPVT XVIII.

*Sola memoria Baptismi non posse dimitti peccata, quæ sunt post Baptismum.*



VINTA propositio: Non potest fieri, ut sola memoria, & fide suscepti Baptismi peccata remittantur, quæ post Baptismum fiunt, sed necessarium est Pœnitentiæ Sacramentum. Hæc habetur in 10. canone Concilij Tridentini, estque aduersus Lutherum libro de captiuitate Babylon. cap. de Baptismo. Caluinum lib. 4. Instit. cap. 15. §. 3. & 4. & in Antidoto Cœcilij, & Kemnitium in censura huius can. 10.

Est autem PRIMO notandum, quæ sit ipsorum, & quæ Ecclesiæ sententia de hac re. Illiigitur PRIMO docent, Baptismum non aliter iustificare, nisi subiiciendo ante oculos promissionem, & eo modo excitando fidem, quæ sola iustificat. SECUNDO, inde colligunt, cum quis peccat post Baptismum, posse per memoriam Baptismi iterum redire ad gratiã ipsam Baptismi. Nam sicut ipse Baptismus subiicit ante oculos promissionem, ita etiam facit memoria, & cogitatio Baptismi: proinde ipsa etiam memoria excitat fidem, & eodem modo iustificat. Id quod etiam in aliis rebus videmus: nam si quis, visa insigni imagine crucifixi, mouetur ad amorem Christi crucifixi, certè etiam postea cum imaginem non videt, si mente recogitet, & recorderetur eam speciem, mouebitur. TERTIO, inde rursus colligunt Sacramentum Pœnitentiæ nihil esse aliud, nisi ipsum Baptismum memoria, & fide repetitum. Et sicut post Baptismum non remanet vlla satisfactio, nec sunt necessariae indulgentiæ, nec Purgatorium post hanc vitam; ita existimant post Pœnitentiã, id est, post memoriam Baptismi nullam superesse satisfactionem, &c. QUARTO,